

lares, sive causae naturales. Atqui causae naturales ita secum colligantur, ut actio unius ab actione alterius impediri, aut saltem turbari possit⁴. Ergo fieri potest, ut res singulares aliqua notarum careant, quae ad pulcritudinem constituendam requiruntur².

104. Iam pulcrum naturale in *corporeum*, et *spirituale* dividitur. Etenim nos et cum in re corporea multas partes affabre concinnatas, et cum in substantia spirituali plura principia, quae ordine inter se continentur, contemplamur, quamdam voluptatem persentiscimus. Pulcritudo corporea vocatur *sensibilis*, quia ad res spectat, quae ope sensuum cognoscuntur: spiritualis vero dicitur *intelligibilis*, quia rerum propria est, quae intellectu apprehenduntur³.

105. Deus autem, a quo, ut s. Augustinus ait, *omne pulcrum est*⁴, et qui, ut s. Thomas subdit, « est universorum consonantiae et claritatis causa⁵ », pulcherrimus dicitur. Neque negotium alicui facessat, quod multitudo ad unitatem redacta, quae est essentialis nota pulcritudinis, in Deo, qui simplicissimus est, a nobis cogitetur. Nam, cum nobis certum sit nullam compositionem in Deo esse, intelligimus infinitas perfectiones, quae in Eo sunt, esse ipsum *Esse Dei*, atque absolutam unitatem Eius constituere. Hinc nos Deum veluti pulcherrimum intelligimus, Eumque pulcherrimum nominamus, quia infinitam multitudinem attributorum cum absoluta unitate coniunctam in Eo intelligimus⁶.

⁴ Cf *Criterion.*, c. IV, art. 2, p. 243, vol. I.

Circa opera artificiosa, atque actiones humanas patet opus deforme evadere, si artifex illud non conficiat secundum leges artis, quae ei pulcritudinem conciliare possent, atque turpes esse actiones humanas, quae a pronuntiatibus rationis practicae discedunt.

³ Hinc reiicienda omnino est opinio illorum, qui non aliud pulcrum, nisi quod in sensu incurrit, agnoscunt. Huic opinioni, quae, praeter Sensistas, non paucos Wolffii discipulos, aliosque iam fautores habuit, litavit Heghelius (*Esthétique*, trad. par Bernard, Paris 1860), a cuius doctrina non valde ablusit Giobertius, *Saggio sul Bello*, c. 1, p. 39 sqq, Napoli 1845.

⁴ *Confess.*, lib. IV, c. 10, n. 15, et *Qq. LXXXIII*, q. XLIV.

⁵ 2^a 2^{ae}, q. CXLV, a. 2 c.

⁶ Cf I, q. XIII, a. 4 ad 3, et *Contr. Gent.*, lib. I, c. 31.

CAPVT VI.

De categoriis in universum spectatis

106. Haec de iis, quae ad ens generatim consideratum pertinent, disseruimus. Antequam de singulis decem categoriis sermonem aggrediamur, haec duo circa ipsas in universum investigare oportet: 1^o quomodo ens sit principium, ex quo categoriae promanant; 2^o quomodo ens per categorias dividatur.

ART. I. Quomodo ens sit principium categoriarum

107. Iam innuimus⁴ ens esse principium, a quo categoriae promanant; siquidem ipsae ens pluribus, diversisque modis determinatum exhibent. Id magis perspicuum fit hoc argumento: Categoriae sunt supremae notiones, ad quas diversa rerum genera referuntur, proindeque supremae notiones, quae de diversis rebus praedicari possunt². Atqui quidquid de aliqua re praedicatur, ad eius esse pertinet, quippe quod non potest aliquid cum aliquo coniungi, nisi ipsi *in esse*, scilicet in eo esse intelligatur. Ergo categoriae, cum sint suprema praedicandi genera, diversos modos essendi significant, ac proinde esse est principium, a quo ipsae promanant.

108. At vox *ens* tribus diversis significationibus accipi potest³. Ipsa enim quandoque illud esse significat, quod copulae officio in enunciatione fungitur; e. g., cum dicimus, *Socrates est philosophus*; quandoque autem *essentiam* rei, nempe id, per quod quaelibet res in sua specie constituitur, e. g., *humanitatem* in Socrate, quia per humanitatem Socrates est homo; quandoque tandem actualitatem, sive actualem existentiam rei, nempe id, quo res actu est in natura. Ens hoc tertio modo acceptum, dicitur *ens actuale*.

109. His praestitutis, demonstramus sequentem Propositionem: *Ens, quod tamquam principium categoriarum ponitur, non est illud, quod copulam enunciationis constituit, neque illud, quod essentiam rei simpliciter significat, sed est ens actuale.*

*Probat*ur prima pars contra Kantium⁴, et Rosminium⁵. Cate-

⁴ Pag. 4. — ² Cf *Log.*, part. I, c. I, art. 6, p. 15, vol. I.

³ In *lib. II Sent.*, Dist. XXXIII, q. I, a. 1 ad 1.

⁴ *Critique de la raison pure; Log. transcend.*, lib. I, sect. 3, § 10.

⁵ *Log.*, lib. II, sez. I, c. 9-11, p. 116-122, Napoli 1857.

goriis non quaeritur, an sit res, sed cuiusmodi sit. Atqui esse, quod in enunciatione munus copulae obit, significat quidem aliquid entis inesse subiecto, sed cuiusmodi illud sit, utrum substantia, an qualitas, an alius quidem modus entis, non patefacit. E. g., in hac enunciatione, *Socrates est philosophus*, verbum *est* significat esse philosophum Socrati inesse, sed utrum esse philosophum sit substantia Socratis, an qualitas, quae substantiae inhaeret, minime innuit. Ergo ens, quod per categorias dividitur, non est illud, quod copulam enunciationis significat ¹.

110. *Probatur* altera pars contra Hegbelium ², et Giobertium ³. Categoriae non significant diversas essentias rerum, nempe illud, per quod res in certo genere, vel certa specie constituuntur, sed diversos modos, quibus essentiae rerum determinatae existunt; e. g., categoria *substantiae* non denotat essentiam hominis, sed modum, quo essentia hominis in rerum natura existit. Modi autem, quibus essentia rerum creaturarum determinata in rerum natura existit, ab ipsa essentia re ipsa distinguuntur. Hisce adnotatis, ita argumentamur: Si categoriae ab ente, quod essentiam simpliciter sumtam significat, derivare dicuntur, tunc vel ipsis dumtaxat essentias rerum exhiberi, vel essentiam, et modum, quo ipsa in rerum natura existit, unum, idemque esse dicatur oportet. Atqui utrumque est falsum. Ergo ens, ex quo categoriae derivant, illud non est, quod essentiam simpliciter sumtam significat.

111. *Probatur* tertia pars, quae ex iam dictis facile intelligitur. Categoriae sunt notiones supremas, ad quas rerum, quae in natura sunt, notiones revocantur. Atqui notiones, quae referuntur ad res, prout in natura sunt, exhibent aliquem modum entis *actualis*, sive aliquem modum, quo res actu sunt in natura. Ergo categoriae repraesentare debent communissimos modos entis *actualis*, sive communissimos modos, quibus res *actu* esse possunt, ac proinde non nisi ens *actuale*, sive illud, quo res actu est in natura, illarum principium esse potest.

ART. II. *Quomodo ens per categorias dividatur*

112. Ad hanc quaestionem exsolvendam sequens Propositio demonstranda in primis nobis est:

¹ Cf s. Thom., *loc. cit.* — ² *Encyclop.*, § 86 sqq.

³ *Protolog.*, Saggio I, et III.

Ens nullo modo tamquam genus assignari potest.

Probatur. Genus eiusmodi est, ut a differentiis determinetur; hae autem differentiae, etsi *potestate* in genere contineantur ¹, tamen extra essentiam generis sunt; si enim differentiae ad essentiam generis pertinent, notio generis cum notione speciei permisceretur, quia species ex genere, et differentia conflatur ². Hoc posito, en argumentum: Si ens esset genus, eius differentias aliquid reale extra ens esse oporteret. Atqui impossibile est tum dari aliquid reale extra ens, quia extra ens non est nisi non-ens, seu nihil, tum aliquid mente concipi, cuius conceptus ad conceptum entis non reducitur, quia extra notionem entis non est alia notio, nisi non-entis, seu nihili. Ergo ens tamquam genus nullo modo assignari potest ³.

113. Hac theoria praestituta, facile est perspicere veritatem huius secundae Propositionis:

Ens per categorias dividitur non tamquam genus per species, sed tamquam per diversos modos essendi.

Probatur prima pars. Ens nullo modo tamquam genus assignari potest. Ergo ens per categorias non dividitur tamquam genus per species. Quapropter categoriae non addunt enti aliquid, quod est praeter essentiam eius, eo modo, quo species addunt aliquid generi, quod extra ipsius essentiam est, nihil enim esse potest, quod sit extra essentiam entis.

114. Hoc idem alia ratione confirmari potest: Illud, quod pertinet ad genus, *univoce*, nempe eadem significatione singulis speciebus est attribuendum ⁴, e. g., *animal* univoce de homine, et de brutis praedicatur: quapropter si ens genus categoriarum esset, ipsum de iis singulis *univoce* praedicandum foret. Atqui ens de singulis categoriis *univoce* non praedicatur; nam in singulis categoriis *esse* diversis modis exhibetur, « unde unicuique

¹ Dicitur differentia *potestate* in genere contineri, quippe quod genus a differentia perfici non potest, nisi sit ita dispositum, ut ab hac determinari queat. — ² Cf *Log.*, part. I, c. I, art. 2, p. 11, vol. I.

³ Cf s. Thom., I, q. III, a. 5 c. Nemo vero existimet ens esse genus, quia ipsam in ens, quod est per se, nempe *substantiam*, et in ens, quod est in alio, nempe *accidens*, dividitur; haec enim, uti Boëtius (*Praedic.*, c. 4) monuit, non est divisio stricte sumta, scilicet quae per species fit, sed potius quaedam enumeratio. Cf s. Damascen., *Dialect.*, c. 10.

⁴ Cf *Log.*, part. I, c. I, art. 5, p. 14, vol. I.

(*categoriae*) debetur proprius modus praedicandi ¹; e. g., in prima categoria, quae est substantia, significatur *esse per se*, in reliquis novem, quae sunt accidentia, significatur *esse in alio*, et in singulis harum specialis modus *essendi in alio* invenitur. Ergo ens per categorias tamquam genus per species non dividitur.

115. *Probat*ur altera pars. Unaquaeque categoria certum, et peculiarem modum entis significat. Ergo ens per categorias dividitur tamquam per diversos modos, secundum quos ens et esse, et intelligi potest ².

CAPVT VII.

De categoriis speciatim consideratis ³

ART. I. Notio substantiae declaratur

116. Substantia, prout categoria est ⁴, describitur, ut iam in *Logica* diximus ⁵, *res, cui convenit esse in se, et non in alio, sive non in subiecto*. Ad hanc substantiae notionem declarandam, explicandum nobis est 1° cur substantia dicatur non iam ens, quod est in se, sed res, cui convenit esse in se; 2° quid sibi velit *esse in se, et non in alio*.

117. Quod attinet ad primum, in memoriam revocandum nobis est substantiam, aequae ac quamlibet categoriam, esse quemdam specialem modum, quo aliqua res *actu* est in natura, ac proinde ipsam intelligi non posse, nisi in ea et aliquid, quod quodam modo est, et quidam modus, quo ipsa *actu* est, distinguantur. Hanc ob rationem substantia dicenda non est ens, quod est in se, aut per se, sed res, cui convenit esse in se, aut per se, ut significetur discrimen inter ipsam rem, et modum,

¹ *In lib. I Sent.*, Dist. XXII, q. I, a. 3 ad 2. Ens autem non praedicatur de categoriis *aequivoce*, sed *analogice*, quia ens de substantia, et de diversis accidentibus non sine aliquo ordine unius ad aliud praedicatur; siquidem, cum accidens substantiae inhaereat, *esse* eius ab *esse* substantiae pendet, ac proinde *esse* primo de substantia dicitur, deinde de diversis accidentibus. Cf. quae diximus in *Logica*, loc. cit., p. 15, vol. I.

² Cf. s. Thom., *Qq. disp.*, De Ver., q. XXI, a. 1 c.

³ Categoriarum numerum exposuimus in *Log.*, loc. cit., art. 6, p. 15, vol. I.

⁴ Diximus, prout categoria est, quia vox substantiae aliquando adhibetur ad significandam essentiam, vel naturam rei, vel formam, aut materiam, aut quidquid ex utraque quasi conflatum est.

⁵ Loc. cit.

quo *actu* est in rerum natura, sive inter *esse* essentiae, et *esse* existentiae ¹.

118. Quod ad alterum spectat, in notione substantiae illa verba *esse per se*, sive *esse in se* excludunt inhaerentiam in subiecto, sive denotant illud, quod dicitur substantia, non habere *esse* suum in alio, tamquam in subiecto, sed non remouent a substantia causam effectricem suae existentiae, sive non denotant ad notionem substantiae pertinere, ut *esse* suum ab alio non recipiat, nam substantiae creatae *esse* suum a Deo accipiunt ².

119. Iamvero res, cui convenit *esse in se, non in alio*, substantia ex eo praecipue nuncupatur, quod est accidentium subiectum, ac proinde *sub* accidentibus *stare*, hoc est, accidentibus *subesse* intelligitur. Substantiam autem *esse* subiectum accidentium ita demonstratur: Si subiectum accidentium non esset substantia, oporteret esse aliud accidens, et quoniam hoc accidens, non secus ac omne aliud accidens, expostulat subiectum, in quo insit, progressus in infinitum admittendus esset. Atqui huiusmodi progressus, omnibus fatentibus, est absurdus ³. Ergo subiectum accidentium est substantia.

ART. II. Definitiones substantiae a nonnullis Philosophis traditae exploduntur

120. Ex principiis, quae in praecedenti articulo exposuimus, sequentium propositionum demonstrationem conficimus, quibus sententiae aliquorum Philosophorum circa substantiae notionem absurdae produntur.

Prop. 1°. *Absurda est sententia Lockii, nempe substantiam esse a complexionem qualitatum, quas sensu percipimus, ignota ratione coexistentium* ⁴.

*Probat*ur. Si illud, quod in rebus veluti substantiam concipimus, non nisi qualitatum complexio esset, qualitates, vel quali-

¹ Cf. s. Thom., I, q. III, a. 5 ad 1.

² *In lib. I Sent.*, Dist. VIII, q. 1, a. 2 ad 2.

³ Hinc s. Thomas adnotavit, si quandoque accidens est subiectum alterius, uti, e. g., superficies est subiectum coloris, id ei convenire per substantiam, cuius est accidens; *In lib. I Sent.*, Dist. III, q. IV, a. 3 ad 2.

⁴ *Op. cit.*, lib. II, c. 23, § 1 sqq. Hanc Lockii opinionem, praeter omnes sensistas, David Humius, utpote scepticismo suo faventem, lubenter amplexus, substantiae notionem absurdam esse, ipsumque nostrum animum non nisi quamdam phaenomenorum complexionem esse effutivit.